

cepere. Quae quo plures majoresque sunt, eo ille minor ac plurimum servus est, quem felicem vulgus appellat. Permanere libet in hoc etiamnum hujus rei imagine. Quemadmodum qui bestiarum cubilia indagat, et *laqueo captare feras* magno aestimat, et *magnum canibus circumdare saltus*, ut illarum vestigia premat, potiora deserit, multisque officiis renuntiat: ita qui sectatur voluptatem, omnia postponit, et primam libertatem negligit, ac pro ventre dependit; nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit.

XV. «Quid tamen, inquit, prohibet in unum virtutem voluptatemque confundi, et effici summum bonum, ut idem et honestum et jucundum sit?» Quia pars honesti non potest esse, nisi honestum: nec summum bonum habebit sinceritatem suam, si aliquid in se viderit dissimile meliori. Nec gaudium quidem quod ex virtute oritur, quamvis bonum sit, absoluti tamen boni pars est: non magis quam laetitia et tranquillitas, quamvis ex pulcherrimis causis nascantur. Sunt enim ista bona; sed consequentia summum bonum, non consummantia. Qui vero voluptatis virtutisque societatem facit, et ne ex aequo quidem fragilitate alterius boni, quidquid in altero vigoris est, hebetat; libertatemque illam ita demum, si nihil se pretiosius novit, invictam, sub jugum mittit. Nam (quae maxima servitus est), incipit illi opus esse fortuna: sequitur vita anxia,* suspiciosa, trepida, casuum pavens, temporumque suspensa momentis. Non das virtuti fundamentum grave, immobile, sed jubes illam in loco volubili stare. Quid autem tam volubile est, quam fortuitorum expectatio, et corporis rerumque corpus afficientium varietas? Quomodo hic potest Deo parere, et quidquid evenit, bono animo excipere, nec de fato queri,* casuum suorum benignus interpres, si ad voluptatum dolorumque punctiunculas concitatur? Sed nec patriae quidem bonus tutor aut vindex est, nec amicorum propugnator, si ad voluptates vergit. Illi, ergo summum bonum excedat, unde